

Stephanus Galdeti

Positio Iacobite de incarnatione

Editor: Alexandra Baneu

work in progress
22.07.2024

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

P2 Paris, BnF lat. 16409

Project NOTA-ERC

|| **Positio Iacobite de incarnatione**

Utrum ineffabile primum esse naturam creatam ypostatice valeat sustentare.

5 Prima conclusio: nullum esse creature est intrinsecum ineffabili primo esse. Patet, quia tunc creatura secundum aliquid sui foret ineffabile primum esse.

Iuxta hoc pono duas propositiones. Prima: nullum esse creature coeternum est ineffabili primo esse. Patet, quia vel forent plura coeterna vel aliquod esse creature esset intrinsecum primo esse.

10 Secunda, quod ineffabile primum esse non esse contradictionem includere falsografo concludi non poterit evidenter. Patet, nam hoc non includere contradictionem contradictionem aliquam non includit.

15 Secunda conclusio: nullum || creatum suppositum naturam creatam potest ex se ypostatice sustentare. Patet, quia, si sic, homo naturaliter posset esse asinus vel lapis. Secundo, quia hoc requirit potentiam infinitam, ut dicunt doctores.

P2 37v

Corollarium: Antichristus non erit dyabolus incarnatus. Patet ex conclusione.

Secundum: nullus habet dubitare de socio suo utrum sit Antichristus.

20 Tertia conclusio: hec est impossibilis 'homo ypostatice est assumptus'. Patet, quia tunc hec esset possibilis 'nunc sunt duo homines et ante non erant nisi unus, et tamen nullus est noviter generatus'. Patet, quia hic homo demonstrato Christo et hic homo assumptus forent duo homines. Item, foret transitus de contraditorio in contradictorium, 25 contra articulum.

Corollarium primum: non quolibet unio ad corpus organizatum denominat hominem constitutum. Patet in Christo in quo constitutum ex anima et corpore non est homo.

30 Secundum: nullum hominem preexistentem potest verbum ineffabile ypostatice sustentare. Patet ex conclusione.

Quarta conclusio: ineffabile primum esse naturam creatam potest ypostatice sustentare. Patet, quia sic de facto est.

1 positio Iacobite de incarnatione] *in marg. P1* Iacobite] conclusiones plures *add. sed del. P1* 4 prima conclusio] conclusio prima *add. in marg. P1* 7 pono] *p. c. P1* duas propositiones] corollaria duo *add. in marg. P1* esse] *p. c. P1* 8 primo] *est add. sed del. P2* 11 includere] *includeret P2* 13 secunda conclusio] *iter. in marg. P1* 17 corollarium] corollaria duo *add. in marg. P1* 20 tertia conclusio] *iter. in marg. P1* 21 patet] *om. P2* duo] *possibiles add. sed del. P2* 26 corollarium] corollaria *add. in marg. P1* 29 secundum] *dubium add. in marg. P1* 31 quarta conclusio] *iter. in marg. P1*

Corollarium: hec est possibilis ‘iste homo est ubique, et tamen nulla pars eius est extra istum locum’. Patet de homine Christo.

Secundum: aliquis homo est hic et Rome et partes istius hominis sunt hic et partes eius sunt Rome, et tamen nulla pars existens hic est
5 Rome. Patet suppositio quod verbum assumeret unam naturam hic et aliam Rome.

Hec de ista positione.



4 et partes — Rome] *iter. P1*

6 aliam] *om. P2*